

#### Oracio A

Multi languescunt in orando et in novitate conversionis sue ferventer orant, postea languide, postea frigide, postea negligenter qui et qua si securi sunt vigilat hostis dormis tu.

Augustinus super Psalmum 65.

#### Oracio B

Oracio tua locucio est ad Deum, quando legis; Deus tibi loquitur, quando oras cum Deo loqueris.

Augustinus super Psalmum 85.

#### Oracio C

Tunc porro in toto corde clamatur, quando aliunde non cogitatur, tales oraciones rare sunt multis, crebre paucis, utrum nec cuiquam nescio.

Augustinus super Psalmum 118.

#### Oracio D

Credis habere melius forum quam Filius Dei, similiter ista indiscrecio fuit in oracione Bersabee que petebat contra honestatem.

Augustinus.

#### Oracio E

Oracio, si pura est, si casta fuerit, celos penetrans vacua non redibit.

Augustinus in quodam sermone.

#### Oracio F

Dicuntur fratres in Egypto crebras quidem oraciones habere sed eas brevissimas tamen et raptim quodammodo iaculatas, ne illa vigilanter erecta que oranti plurimum necessaria est per productiores moras evanescat atque hebetetur intencio.

Augustinus ad Probam.

#### Oracio G

Fideliter supplicans Deo pro necessitatibus huius vite et misericorditer auditur et misericorditer non auditur. Quid enim infirmo sit utilius magis novit medicus quam egrotus.

Augustinus in libro sententiarum Prosperi.

#### Oracio H

Oracio paucis verbis res multiplices comprehendit, ut sic cito simplicitas fidei sufficiencia sue salutis addiceret et prudentia ingeniosorum profunditate misteriorum stupesceret.

Augustinus in glossa [super] Mattheum 6.

#### Oracio I

Oracio oranti est subsidium Deo sacrificium, demonibus autem est flagicium.

Augustinus in sermone.

#### Oracio K

Plus placet Deo latratus canum, mugitus bovom, gronnitus porcorum quam cantus clericorum luxuriantium.

Augustinus.

## Oracio L

Oracio est anime sancte presidium, angelo bono solacium, diabolo supplicium, gratum Deo obsequium et penitencie religionis laus tota; perfecta gloria, spes certa, santitas incorrupta.

Augustinus.

## Oracio M

Multum precari est ad Deum quem precamur diuturna et pia cordis excitatione pulsare, nam plerumque hoc negocium plus gemitibus quam sermonibus agitur, plus fletu quam affatu.

Augustinus ad Diascorum.

## Oracio N

He sunt due ale oracionis quibus volatur ad Deum, si illud quod communicatur ignoscit delinquenti et donat egenti.

Augustinus in sermone de quadragesima.

## Oracio O

Cum oras clamas non voce sed mente, nam et tacentes exaudit Deus nec queritur locus quantum sensus. Hieremias comfortatur in carcere, Daniel inter leones exultat, tres pueri in fornace tripudiant, Iob nudus in sterquilinio triumphat, paradisum de cruce latro invenit non est locus ubi non sit Deus.

Augustinus in sermone.

## Oracio P

De quotidianis brevibusque peccatis sine quibus hec vita non ducitur, quotidiana oracio fidelium satisfacit.

Augustinus in encheridion.

## Oracio Q

Oracio Deum ungit sed lachrima compungit hec lenit illa cogit.

Augustinus in sermone.

## Oracio R

Ne deficias in oracione, Deus quod concessurus est, et si differt non aufer, non levitate utitur qui promisit, non facile de sententia movetur, quod promisit est fixum fallere non potest, habet, unde faciat.

Augustinus super Psalmum 65.

## Oracio S

Oracionis pure magna est virtus et velut fidelis nuncius, mandatum peragit et penetrat quo caro non pervenit.

Augustinus ibidem.

## Oracio T

Oracio refectio est ieiuniorum duriciam cordis emollit austeritatem temperat, ieiunium dulcificat. Sicut enim sine potu non est plena refectio, sic et ieiunium sine refectio oracionis non potest animam perfecte nutrire.

Augustinus in quodam sermone.

## Oracio U

Sit oracio pura, simplex, dilucida atque manifesta, plena gravitatis et ponderis, non affectata elegancia sed non intermissa gracia.

Ambrosius de officiis.

## Oracio X

Ubi est oracio, adest verbum fugatur cupiditas libido discedit.

Ambrosius de viduis.

### Oracio Y

Si pro te roges tantum, pro te solus rogabis; si autem pro omnibus roges, omnes pro te rogabunt.

Ambrosius in hexameron libro 1.

### Oracio Z

Vide quam brevis est oracio et omnium plena virtutum primus sermo quante est graciae. O homo, faciem tuam non audebas ad celum attollere, oculos tuos in terram dirigebas et subito accepisti gratiam Christi! Omnia peccata dimissa sunt, ex malo servo factus es bonus filius, ideo presume non de operatione tua, sed de gracia Dei. Gracia enim salvati estis, ut dicit apostolus, non enim hec arrogancia est sed fides; predicare quod acceperis non est superbia sed devocio; ergo attolle oculos ad Patrem qui per lavacrum te genuit, ad Patrem qui per Filium te redemit, et dic Pater noster, bona presumptio sed moderata, Patrem dicis quasi Filius, sed noli specialiter tibi aliquid vindicare solius Christi est Pater specialis nobis omnibus in communi est Pater, quia illum solum genuit qui nos creavit.

Ambrosius super illud Matthei 6: Pater noster qui es in celo.

### Oracio AB

Multi minimi dum congregantur unanimes sunt magni et multorum preces impossibile est contemni.

Ambrosius libro de penitencia.

### Oracio AC

Despiciuntur oraciones leves diffidentes inutiles, seculi curis anxie plene et rerum corporalium implicite, bonorum operum fructibus infecunde.

Ambrosius super Psalmos.

### Oracio AD

Egredientes de hospicio armet oracio, regredientibus de platea occurrat antequam sessio, nec prius corpusculum requiescat quam animam pascat.

Hieronymus in epistolis.

#### Oracio AE

Ieiunio passiones corporis, oracione pestes sanande sunt mentis.

Hieronymus super Marcum.

#### Oracio AF

Quociens pro centum animabus psallimus vel missa canitur, tantum prodest cuilibet, quantum pro qualibet caneretur.

Hieronymus in epistolis.

#### Oracio AG

Dominus noster sciens clemencie sue pondera atque mensuras, interdum non exaudit clamantem, ut eum probet, et magis provocet ad rogandum et quasi in igne excoctum iustiozem et puriozem faciat.

Hieronymus super Habaccuch.

#### Oracio AH

Lectionem frequenter interrumpat oracio et animam iugiter adherentem Deo grata vicissitudo sancte operacionis accendat.

Hieronymus ad Demetriadem.

#### Oracio AI

Error fuit quod dum vivimus mutuo pro nobis orare possumus, postquam aut mortui fuerimus, nullius sit pro alio exaudienda oracio.

Hieronymus contra Vigilancium.

#### Oracio AK

Quisquis pro aliis intercedere nititur, sibi potius ex caritate suffragatur et pro semetipso tanto citius exaudiri meretur, quanto devote pro aliis intercedit.

Gregorius libro 15. moralium.

Oracio AL

Tunc cor fiduciam in oracione accipit cum sibi vite pravitas nulla contradicit.

Gregorius 16. moralium.

Oracio AM

Omnipotens Deus sepe eius precem in perturbacione deserit, qui precepta illius in tranquillitate contemnit.

Gregorius libro 10. moralium.

Oracio AN

Dignum profecto est, ut ab eius beneficiis sit quisque extraneus cuius iussionibus non vult esse subiectus.

Gregorius ibidem.

Oracio AO

Talis requirendus est ad orandum qui sit idoneus ad placandum, quia cum is qui displicet ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur.

Gregorius in pastoralibus.

Oracio AP

Ille Deo veram oracionem exhibet qui semetipsum cognoscit, quia pulvis sit humiliter videt qui nichil sibi virtutis tribuit, qui bona que agit esse de misericordia conditoris agnoscit.

Gregorius libro 2. moralium.

Oracio AQ

Virtutis pondus oracio non habet quam nequaquam perseverancia continui amoris tenet. Veraciter orare est amoris in compunctione gemitus et non composita verba resonare.

Gregorius libro 33. moralium.

Oracio AR

Quanto graviori tumultu carnalium rerum premitur, tanto oracioni insistere ardentius debemus.

Gregorius in homelia.

Oracio AS

Ecce stat qui ante transibat, quia dum adhuc turbas fantasmatum in oracione patimur Ihesum aliquatenus transeuntem sentimus. Cum vero oracioni vehementer insistimus, stat Ihesus ut lumen restituat, quia Deus in corde figitur et lux amissa reparatur.

Gregorius in homelia super ewangelia.

Oracio AT

Illam oracionem Deus non exaudit cui homo quando psallit non attendit.

Gregorius in quadam homelia.

Oracio AU

Conditori auribus illa maxima oracio commendatur qua pro inimicis quoque intercedere nitimur.

Gregorius in moralibus.

Oracio AX

Quando fidelis et humilis et fervens oracio fuerit celum sine dubio penetrabit, unde certum est quod vacua redire non possit.

Bernardus.

## Oracio AY

Nemo nostrum parvipendat oracionem suam, dico enim vobis quod ipse ad quem oramus non parvipendit eam. Postquam egressa sit ab ore nostro, ipse scribit eam in libro suo et unum ex duobus indubitanter sperare possumus, quoniam aut dabit quod petimus, aut quod novit utilius.

Bernardus ibidem.

## Oracio AZ

Pro se orare necessitas cogit, pro aliis autem caritas fraternitatis hortatur, dulcior autem ante Deum est oratio, non quam necessitas transmittit, sed quam caritas fraternitatis commendat.

Chrysostomus super Mattheum.

## Oracio BA

Non voce clamosa pulsandus est Deus, sed consciencia recta placandus quia non est vocis sed cordis auditor. Orans nichil novum faciat quod aspiciant homines nec voce clamet, nec manus expandat nec oculos tollat ut notabilis fiat.

Chrysostomus super Mattheum 6.

## Oracio BC

Dicendo Pater noster et veniam peccatorum et penarum interitum et iustificationem et sanctificationem et liberationem et filiorum adoptionem et hereditatem Dei et fraternitatem cum unigenito copulatam et Sancti Spiritus dona largissima uno sermone significavit.

Chrysostomus ibidem.

## Oracio BD

Vide mulieris pacienciam et humilitatem, Dominus filios vocat Iudeos et illa Dominos, nec doluit in aliorum laudibus nec molesta est in suo convicio, quam si dicat, si non digna ut panem integrum des, saltem filie mee da sanitatem, quasi Micam in comparacione beneficiorum que fecisti Iudeis.

Chrysostomus super Mattheum 15.

Oracio BE

Nichil potencius homine orante. Qui orat cum ieiunio duplices alias habet, nam neque oberrat neque torpet.

Chrysostomus super Mattheum 18.

Oracio BF

Colonus Dei consilium diaboli non querit, colonus autem diaboli et si auxilium Dei querit non invenit. Unde fur orat ut prosperetur et fornicator sibi crucis signum facit ut non comprehendatur et tanto citius capitur, quia nescit iustus Deus patrociniū criminibus dare.

Chrysostomus super Mattheum 22.

Oracio BG

Consuetudo erat ei sine eis orare in quo docemur tempore oracionis querere secretum et fugere tumultum.

Chrysostomus super Mattheum 26.

Oracio BH

Potentis negligencia reprehenditur, ubi de dantis misericordia non dubitatur.

Chrysostomus.

Oracio BI

Qui vult cum Deo esse frequenter debet orare et legere. Quando oramus, cum Deo loquimur; quando legimus, Dominus loquitur nobis; utrumque bonum si liceat, et si utrumque non licet, melius est orare quam legere.

Isidorus de summo bono.

#### Oracio BK

Hoc est remedium eius qui viciorum tentamentis estuat, ut quociens quolibet modo tangitur tociens oracionem fundat, qui frequenter oracio impugnacionem viciorum extinguit.

Ibidem.

#### Oracio BL

Quid prodest strepitus labiorum ubi cor est mutum. Sicut enim vox sine modulacione est quasi vox porcorum, sic oracio sine devocione est quasi mugitus bovum.

Isidorus.

#### Oracio BM

Oracio cordis est non labiorum, neque enim verba deprecantis Deus intendit, sed orantis cor aspicit. Melius est cum silencio orare corde sine sono vocis, quam solis verbis sine intuitu mentis.

Isidorus de summo bono libro 1.

#### Oracio BN

Duobus modis oracio impeditur ne impetrare quisque valeat postulata: hoc est, si aut quisque adhuc mala committit, aut si delinquenti sibi debitum non dimittit.

Ibidem libro 3.

#### Oracio BO

Sepe multos Deus non exaudit ad voluntatem ut exaudiat ad salutem.

Ibidem.

### Oracio BP

Oracionibus mundamur, lectionibus instruimur; utrumque bonum est si liceat, si non licet utrumque melius est orare quam legere.

Ibidem.

### Oracio BQ

Multum iuvat oracionis puritatem, si in omni loco vel tempore nos ab actibus temperemus illicitis, si semper ab ociosis sermocinationibus auditum pariter castigeus et linguam, quodcumque enim sepius agere loqui vel audire solemus, eadem necesse est sepius ad animum quasi solitam propriamque recurrant ad sedem et sicut volutubra sues palustria columbe limpida solent frequentare fluentia, ita cogitationes in puram mentem immunde perturbant castam spirituales sanctificant.

Beda de templo Salomonis.

### Oracio BR

Psalmus demones fugat, angelos ad adiutorium salutis invitat; scutum est in nocturnis terroribus diurnorum requies laborum tutela pueris, iuvenibus ornamentum, solamen senibus mulieribus aptissimus decor, deserta habitari facit, urbes sobrietatem docet, incipientibus primum efficitur elementum, proficientibus incrementum, perfectis stabile firmamentum.

Basilii in hexameron libro 9.

### Oracio BS

Quomodo obtinebit quis ut in oracione sensus eius non vagetur, si certus sit assistere ante oculos Domini?

Basilii ibidem.

### Oracio BT

Si quis intentat ita animam suam in singula verba Psalmorum sicut gustus intentus est ad discrecionem saporis ciborum, iste est qui complet quod dicitur, psallite sapienter.

Ibidem.

#### Oracio BU

Huius versiculi oracio in adversis ut eriamur in prosperis ne extollamur incessabili iugitate fundenda est; huius igitur versiculi meditacio in tuo pectore indurupta volvatur hunc in opere quolibet sive ministerio sive itinere constitutus decantare non desinas, hunc et dormiens et residens et in ultimis nature necessitatibus meditare.

Iohannes Cassianus in collacionibus Isaac [super] Deus in adiutorium.

#### Oracio BX

Socrates nichil ultra ad diis immortalibus petendum arbitrabatur, quam ut bona tribuerent, quia hi demum scirent quid unicuique esset utile.

Valerius Maximus.

#### Oracio BY

Ideo non dicimus, Pater meus, sed noster; nec da michi, sed da nobis; quia christianitatis magister noluit privatim precem fieri, ut scilicet quis pro se tantum precetur, unum enim orare pro omnibus voluit, quando in uno omnes ipse portavit.

Cyprianus de oracione dominica.

#### Oracio BZ

Ipsius est oracio perfecta cuius et causa clamat et lingua et actus et sermo et vita et cogitacio.

Cassiodorus super Psalmum 16: Exaudi Domine.

#### Oracio CA

Non solum cantantes sed intelligentes psallere debemus; nemo enim sapienter quicquam facit quod non intelligit.

Cassiodorus super Psalmum: Psallite sapienter.

#### Oracio CB

Pulchre diffinitum est Psalmos esse vasa veritatis, quasi spiritualia dolia vinum Domini incorrupto sapore servancia.

Cassiodorus super Psalmum: Confitebor tibi in vasis.

#### Oracio CD

Magna voce ille clamat ad Dominum qui quamvis lingua taceat, bonis tamen operibus perseveranter clamat.

Ibidem super Psalmum: Miserere mei.

#### Oracio CE

Oracio posita est per quam ira Dei suspenditur venia procuratur, pena refugitur et premiorum largitas impetratur, cum Deo loquitur cum iudice fabulatur, presentem sibi facit quem videre non prevalet, ad penetralia iudicis precator admittitur et nullus inde respuitur, nisi qui in ea tepidus invenitur.

Cassiodorus super Psalmos.

#### Oracio CF

Ipsa est suavissima virtus armonie, quando vox cognoscitur operibus consonare, nam si he due res discrepabili varietate senciant, nequaquam possunt Psalmo die temperatam efficere cantilenam, nec ad aures Domini venit quod se mutua contrarietate confundit.

Cassiodorus super Psalmos.

#### Oracio CG

In Psalmis vincitur mundus, plorando superatur diabolus et cui nulle cohortes ad pugnandum sufficiunt, oracione unius pauperis inclinatur.

Cassiodorus super Psalmum 101.

#### Oracio CH

Virtutem sancte oracionis intende, quia tanto se credit celerius audiendum, quanto de imis penetralibus clamat ad Dominum.

Cassiodorus super Psalmos.

#### Oracio CI

Psalmodia est consolacio flencium, cura dolencium, sanitas egrotorum; hec anime remedium, hec miseriarum omnium cognoscitur esse suffragium. Nam qui tali munere privatur, ab omni beneficio consolacionis excluditur.

Cassiodorus.

#### Oracio CK

Oracio serenat cor, abstrahit a terrenis, mundata viciis, sublevat ad celestia reddit capacius et dignius ad accipienda bona spiritualia.

Cassiodorus super Psalmos.

#### Oracio CL

Oracio est pie mentis et humilis ad Deum conversio, fide, spe et caritate subnixa.

Hugo.